



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

B. Aloysivs Gonzaga. 21. Junii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

B. ALOYSIVS  
GONZAGA.

21. Junii.

*Obsecro itaque vos, Fratres per  
misericordiam Dei, ut exhibeatis  
corpora vestra hostiam viventem  
& Deo placentem. Paul. ad Rom. 12.*

**M**Oriturus ALOYSIVS nascendo erat, si  
non patienti Matri Mater MARIA  
affuisset. Inter prima ejus verba JESU &  
MARIA feruntur boni ominis. Puerulus  
etiampnum in singulis scalarum gradibus sca-  
lam coeli MARIAM salutavit. Hujus horas  
quotidie, Sabbatho etiam jejunus dixit. Ad  
hujus effigiem, quam Florentia Annuncia-  
tæ Titulo colit, florem virginitatis conse-  
cravit, semper, dum vixit, intactum, quia  
Horto Concluso commiserat. Interim ca-  
tenas flagelli, calcaria cilicii loco quamvis  
currenti sponte corpusculo admovebat. vi-  
ctus vix unciam appendebat, foeminarum  
& chorearum hostis, Imperatricem, quam  
tres annos quotidie adibat, nunquam aspe-  
xit



xit, precibus ram ubique addictus, ut loqui  
 cum angelis dicerent rectius Angelis  
 dicturi. Aiebat frequenter: *Non videre*  
*se, cur non mortales omnes religioni se manciparent.*  
 Et certè Senis cùm ad Sodales Ma-  
 rianos diceret, benè multis id persuasit.  
 Ipse, cùm assumptæ Virginis die illa è co-  
 lo audisset, *Societatem 1858 ingredi*: post lon-  
 gas cum Patre pugnas, Mariæ Jesum junxit.  
 Hunc, quoties studeret, in genua provolu-  
 tus vocare. Hunc sub panis velo latitantem  
 ante & post ludum literarium salutare, sa-  
 crificiis quinis senisve Minister assistere, ad  
 conspectum Hostiæ lacrymis manare; cùm  
 verò eo epulo frueretur; inundare etiam;  
 itaque nullius notæ gravioris sibi conscius  
 Angeli nomen meruit: ut terra cœlum di-  
 ci posset, si plures Aloysios haberet. *Ex*  
*Virg. Ceparis.*

## MEDITATIO

### *In vitam B. Aloysii.*

I. **H**ic Sanctus adolescens victima fuit Cha-  
 ritatis: abdicato Matchionatu, invito  
 parente, se suâque omnia Christo consecravit. An  
 similibus vinculis alligaris mundo? Filium te mo-  
 ratur! dignus promissus Paradisus, dignus vocans  
 Deus, quorum causâ omnia relinquis, si minùs



re, certè quidem animo & voluntate,

2. Corpus suum Deo consecravit castitatis voto, quod admissus in Societatem confirmavit. Angelicæ puritatis æmulus, mirum quantum modestus erat. Mulieris vultum nunquam aspexit, Accedebat immisericors & assidua corporis afflictatio. Qui corpus suum Christo dicare voluerit, quasi hostiam viventem & sanctam, cohibeat sensus, studeat mortificationi, necesse est. *Tota Christiani vita crux est & martyrium.* Aug.

3. Obedientiæ voto suam Deo vovit libertatem. Quantis nunc honoribus tum in Cœlis, tum in terris afficitur, quòd olim honores spreverit? Non tutiori viâ itur ad cœlum, quàm obedientiæ. Obedias tibi, Præpositis fideliter, statim, sine murmuratione, quasi Christo, qui præmium daturus est. *Memineris, quòd non modò Religiosorum, sed & omnium Corpora fidelium, sunt hostia Dei, membra Christi, templa Spiritûs sancti.* Aug.

S. P A V L I N V S  
EPISCOPVS.

22. Junii.

*Cùm liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem.* 1. ad Cor. 9.

N OVAM artem PAULINUS docuit; etiam  
cùm